

cæteris vnus est T. præsentium lator, quem tot pericula itineris, tot difficultates ad vos perueniendi non exterruerunt, nec retinuerunt, compellente & instigante illum, tantum laborem insumere, fama, quæ de vobis vbi-que terrarum diffunditur. Non equidem rerum inopia, non abiectio & vilitas inter suos, euomuit illum in terram vestram, cum & Canonicus S. Timothei sit, & frater Hildoini, Vicedomini & Canonici S. Mariæ Remensis. Rogamus igitur, ne frustetur spe sua: ne quando apud se pœnitens, & dolore cordis intrinsecus tactus dicat, Perijt opera & impensa. Ego cum toto conuentu B. Remigij vester sum, & pro vobis orationem fundimus ad Deum, vt sanctissima anima vestra thesauros, quos in cœlo posuit per manus pauperum in exitu suo reperiât, & bonis domus Dei repleta cum sanctis Angelis æterna lætitia congaudeat. Valete.

43.

1162 — 1178.

Abbot PETERS i Remi Skrifvelse med FOLKE 1) till Påfv. ALEXANDER III med förord för denne sin fordna Lärjunge, hvilken blifvit Biskop och ernade bland hedningarne i Norden utbreda Christendomen.

K. h. 2. 584. n:o 87.

*Alexandro Papæ Petrus Abbas S. Remigij.*

Quæ in euidenti & manifesto sunt vera, se ipsa loquuntur, seipsa nullo adiuncto adminiculo testantur. Quæ autem remotione loci, euolutione temporis, vel cuiuslibet implicatione caliginis profundum tenent ignorantia, cum rei publicæ poposcerit vtilitas, sub luce volunt videri. Hinc est, pater sanctissime, quod lator præsentium, in gremio nostræ humilitatis coalescens, habitum religionis a nobis in monasterio Cellensi suscepit, diuque ibi vbera vini meliora sugens, in virum Episcopalem gratia Dei cooperante profecit. Reuera opus & onus iniuncti officij amplectens, non aurum robur suum ponens, nec obrizo dicens, fiducia mea. Quærit enim a sede Apostolica mortem per mortem, quia & in itinere quo pergit, mortem minatur æstas, & Imperialis potestas, & quam exposcit, si obtinuerit, mortem importat

1) Denne Folke hade blifvit Munk i Celles och sedan i Remi, dit han synes åtföljt Abbot PETER; blef sedan af Lunds Årke-Biskop Eskil förordnad till Biskop i Sverige eller Estland, som då räknades till Sverige. Jfr. J. Sirmondi Noter till dessa Bref i K. h. 2: 613, till 5 Bok. n. 19, och s. 632 till 6 Bok. n. 8.

Härvid förtjenar anmärkas att denne Folke genom ett synbart tryckfel hos Vastov. i Vit. Aquil. s. 163 blifvit i Påfv. ALEXANDER III:s Bulla till alla Christtrogna i Danmark kallad *Julio*, då likväl K. h. 2: 621 n:o 20 i samma Bulla har tydligt *Fulco*.

importat Barbarorum infida societas. Habet itaque animam suam in manibus suis, offerens illam Deo per manum cælestis clauicularij, & vestram. Excipite, si placet, hostiam sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium, & beatissimi Apostolatus vestri autoritate exponite ouem lupis, si forte beata conuersatione non lupo comedit agnum, sed agnus conuertat lupo. Quodlibet autem horum fiat, Deus glorificabitur, ministerium vestrum honorificabitur, & anima fratris nullum detrimentum patietur. Præsumo enim a præteritis, quæ in eo enutriui, & multis didici argumentis, quod in commisso fidelis erit, & a tramite fidei nullo incurso exorbitabit, potiusque dabit sanguinem, quam imminuat fidem. Ait Apostolus: *Spiritum nolite extinguere*, & lucernam iam in modio accensam amplioribus suffusoriis accendite: quia hæc est gloria & corona vestra, si granum frumenti per manum vestram in terram cadens multum fructum attulerit.

44.

1162 — 1178.

Samme Abbot PETERS ytterligare skrifvelse till Påfven i samma ämne.

K. h. 2: 587. n:o 95.

*Domino & patri Alexandro summo Pontifici, Petrus Abbas sancti Remigij quicquid filius patri.*

Nvllis bona voluntas a Sancto Spiritu incitata coërcenda est habentis, nullis a proposito retardanda dissimulationibus. Sic enim iam totius nostræ Christianitatis religio intepuit, vt vix in toto grege Christiani populi aliqui inueniantur, qui non malint sub ficu & oliua terreni honoris & delectationis delitescere, quam procul odorare bellum, & audacter occurrere in occursum cum filiis Benjamin, & dimidia tribu Manasse, expediti armatis inimicis Christi. Ad vos itaque, Pater sanctissime, qui estis in corpore Ecclesiæ caput, de quo oleum non deficit, & qui Australe sufflatorium habetis, respicit desides excitare, excitatos vero ad meliora & viciniora saluti iuuare & impellere. Nunquam ergo vobis molestum debet esse, quod a vobis postulatur in auxilio propagandæ Catholicæ fidei: quia & Dei & Domini nostri Iesu Christi laus inde augmentatur, meritum vestrum cumulatur, salus infideli populo acquiritur. Proinde petitiones pauperis illius Episcopi Fulconis, qui hoc anno curiam visitauit, & modo nobiscum hospitatur, apud vestram sanctitatem commendamus, scientes & pensantes, quia vbi nulla aut rara fidei suppellectilia sunt, suffragio copiosiore indiget. Indulgendum est ergo illi in multis, qui omnibus indiget. Sic magister & Dominus ve-

*Sv. Dipl.*